

rum rectius agnosceret, & de Ecclesiarum istarum doctrina & ceremonijs ad suos reversus testari melius posset; deinceps tamen re cum patronis deliberata, fæcundissimam illam multorum præstantissimorum Virorum, imprimis Theologorum, matrem T U B I N G A M adiit: ac summa illa Ecclesiæ Christianæ lumina, D. I A C O B U M H E E R B R A N D U M, D. I A C O B U M A N D R E Æ, D. S T E P H A N U M G E R L A C H I U M, & istum Hebraicæ literaturæ nostro hoc seculo principem G E O R G I U M V V E G E N M E I E R U M, longiori certè vita dignissimum, ita audivit, ut non ad ὁφθαλμοδελεῖαν operam docentibus daret, sed ut ex eorum ore disceret, quod sibi usui futurum esset posterius. Verissimum namq; esse sciebat, quod philosophorum princeps Aristoteles asserit, experientiaq; ipsa confirmat, *περὶ τὴν φρένην* plurimum auditum conferre: & quod Hieronymus scribit: *Habet nescio quid latentis ἐνεργείας viva vox, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa, fortius sonat: insidere item altius animis, hærere tenacius, occurrere promptius, quæ in schola à præceptoribus audiuntur, quam quæ domi vel acri studio leguntur.* Horum ergo noster hic Theologus secutus dum licet serio vestigia, ab horum discensit ore semper doctior: his exemplo Diogenis, qui ne baculo quidem ab Antisthene docente abigi potuit, adhæsit semper: hos coluit, hos maximè veneratus est. Ex his quæ recta esset studij Theologici ratio, quæ ejusdē requisita, quis progressus, et si antea non ignoraret, magis tamen magisq; perspectum habuit: Sanctissimum pariter & amplissimum hoc studium, non lectione vaga aut cursoria unius aut alterius libri Biblici, non levi aut superficiaria hujus vel illius loci Theologici cognitione, aut quæstionibus quibusdam intricationibus, quibus

C 2

hoc

Tomo. 3.
ad Paulin.